

St. sch.
fledig!



6 Weismanni s. Christ. Eberh. iuste rationes
collectionis Canonice Scripturarum
Sacrarum, contra modernas quasdam
objectiones vindicatae, tubingae
1737.

7 Specimen Magni Nichilii aucto
versij religiosis, tubingae 1739.

8 Diff de veritate divina, fure
Act expulsa, tamen usq; renovata
tubingae 1740.

9 Varia Sacra, tubingae 1738.

10 Renovata exceptiones contra
Divinam institutionem Baptismi et
3. Vero tubingae 1736.

11 Responsoriae speciales ad Georgij
Bulli objectiones de justificatione
fuit, tubingae 1733.

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
A N G E L I S,

QVAM
DIVINA FAVENTE GRATIA
IN INCLYTA WITTEBERGENSI ACADEMIA
SVB PRAESIDIQ

VIRI
REVERENDI ET EXCELLENTISSIMI
DN. JACOBI WELLERI
SS. THEOL. D. ET PROFESSOR. EXTRA-
ORDINARI, ORIENTALIVM VERO LINGVARVM
ORDINARI, PRAECEPTORIS ET PROMOTO-
RIS SVI OMNIBVS OBSERVANTIAE
OFFICIS MACTANDI,
EXERCITII GRATIA PVBLICEDISCVTIENDAM
PROPONIT

JOHANNES BODEM
FORSTA-LVSATVS.
AD DIEM IV. OCTOBR. MDC XXXVII.
IN AVDITORIO MINORI

RECUSA ANNO MDCCXXXIV. (4)

DISPUTATIONE
DE
GENES

MAIO

DIVINA FAVELLE GRATIA
IN INDOCTA MALLETTENSIS ACADEMIA
SUSCEPTE

VIRI

IN AGORAE HERETI

SCHELDI HISTORICO EXTRÆ
CATHOLICÆ ORTHODOXÆ ET PROTESTANTÆ
THEATRUM PRAECEPTORIS ET PROFESSORIS
RISSA QMUNDI PERSERVANTIAE
OPUSCULUM MCCLVI

DISCUSSIONE
PROTOMONTE

DISCUSSIONE
ZUTAVIA AFFRONTA

DISCUSSIONE
PROTOMONTE

DISCUSSIONE
ZUTAVIA AFFRONTA

DISCUSSIONE
PROTOMONTE

PROOEMIVM.

Vanquam is, cuius unius a Volunta-
te ac nutu pendent omnia, Jacobæ-
am gentem ex dira duraque Ægypti-
a servitute, magno cum gaudio ac
triumpho liberavit & eripuit, illa
ramen in tuto postmodum non fuit
ac vado, sed Hostes ingentes ac cru-
deles nimirum Amalecitas habuit,
cum quibus in certaminis arenam congregdi armaque con-
gerere necesse habuit. Ex sane lectum Dei populum labo-
factasset & suffocasset cobors ista furibunda, nisi Dominus,
penes quem in omnes imperium est, illorum gladios retudis-
set, mucronesque eorum a jugulis plebis suæ rejecisset. Sed
quorūm hæc, quorūm? Ut testatum faciam idem nunc
Christicolis, quod olim iudeis obtigit, obtingere. Etsi enim
istos ex caligoniissimis illis Satanae ergastulis explicatos
arque expeditos esse dilucidum sit; Attamen in hac difficulti
miseriarum valle ac calle tuti non sunt ac quieti, Verum
hostes infensi & infesti in eos irruunt impetu, quo possunt
maximo. Ad sunt enim Diaboli, qui licet perculsi & abje-
cti sint: oculos ramen sape ad hanc Dei civitatem, quam
dolent ex faucibus suis creptam, rorquent, & quicquid
ad huc habent virium contra eam conferunt. Præterea ad-
sunt Tyranni, qui scelus anbelant: Pestem moliuntur: Fa-
mem inferunt: Ferrum flammaque minitantur, imo o-
mnem perniciem machinantur. Ad sunt Hærtici, eou-
nice allaborantes, ut doctrinæ Veritas opprimatur, Falsitas
vero seratur. Ad sunt denique carnis nostræ cor-
ruptæ invitamenta, quæ nos (prob dolor) a virtute ad fla-
gitium,

gitium, a salute ad exitium, a vita ad mortem & a here &
præcipitare student. Nos miseros, qui, dum in terris fu-
mus, innumeris periculis exponimur & objicimur! DEUS
autem Ecclesiam suam contra infenſiſſimas Diaboli macbi-
nas vigilantissima Angelorum suorum custodia dignatus est,
nosque benigne hactenus protegit. Cui pro hoc ingenti pe-
nſcio nobis præſtitio, ut gratias agamus immortales, &
quo nos imposterum etiam per Eosdem Angelos custodiat,
pius ſolicitemus precibus æquum eſt. Ceterum jam Spi-
ritus S. grata, doctrinam veram de Angelis ex Scriptura
Sacra affignare & proviribus a corruptelis propugnare &
liberare lubet. Igitur in nomine Christi fulgimus
seqq. theſes.

I.

ET si omnia opera Dei mirabilia ſint & captum hu-
manum excedant: imprimis tamen Creatio & crea-
ti hominis restauratione ὑπὲρ λόγον, καὶ νέῳ κατάληψιν αὐ-
τῆς φύτεως collocata ſunt. In illo opere Deus bonus
fuit in non Ente, ut eſſet; in hoc optimus in malo, ut eſſet
bonum. Illi ſubjiciuntur omnia, quæ in cœlis ſunt
& in terra viſibilia & in viſibilia &c. Col. 1,16. hic homi-
nes Joh. 3, 16. Primaria vero creationis opera ſunt
Angeli & Homines, cum Deo de illis agemus nunc,
cum & Ecclesia de illis agat.

II.

Ne autem nobis obſtaculo ſit Vocabulum Angeli,
in iis, quæ poſtea proponemus, omnium primum ne-
ceſſe eſt, ut ipsius vocabulū Homonymiam tollamus:
Eſt vero Vox Angeli origine Græcum αἴ̄θης αἴ̄γελ-
λευ & Latine ſignificat Nuncium ſive Legatum. Atque
ſic Nomen Angelinon Naturam ſed officium expri-
mit. Angeli Philosopho dicuntur Intelligentiae ab
in-

intelligendo : dicuntur *Mentes* & *Genii*, quod scilicet *Genitos* tueantur, ut nonnulli volunt. *Spiritus* absolute. *Dæmones* quasi *dæmones*, scientes seu sapientes.

III.

In Scriptura Sacra Vox Angeli varias habet significaciones. Nam 1. significat ipsum Creatorem seu Filium Dei Gen. 16, 10. c. 22, II. c. 32, 24. c. 31, II. Exod. 3, 2. Jud. 13, 3. Ef. 63, 9. Mal. 3, 1. Et hic observandus canon: *Ubicumque Angelo ascribitur simpliciter nomen Iebovah, vel divina opera, vel divinus cultus, ibi intelligendus est Princeps Angelorum, Christus.* Basili. lib. 2. contra Eu-nom. p. 128. 2. *Nuncium Malorum & calamitatum immisiones per angelos malos.* Ps. 78, 49. 3. *Sacerdotes sub lege & Legis interpres Esa. 33, 7. Mal. 2, 7.* 4. *Johannem Baptistam.* Mal. 3, 1. Matth. 11, 10. Marc. 1, 2. Luc. 7, 27. 5. *Ministros Ecclesie* sub N. T. Apoc. 1, 2. & passim. 6. *Pseudodoctores* Apoc. 9, 14. 7. *Hominem a Deo missum.* Jud. 2, 1. Job. 33, 23. 8. *Hominem ab Homine missum.* Esa. 18, 2. Sic Nunci quos Jacob ad Esau mittebat Gen. 32, vocantur Angeli, uti & Explaratores. Num. 13, 9. *Viros fortes, potentes & authoritate præditos* Psal. 138, 2. Ubi Vulgatus: *in conspectu angelorum, Ebraice גּוֹרָא לְחֵזֶק* coram Diis. 10. *Spiritus Creatos* sive bonos sive malos. Quæ vocabuli acceptio est hujus loci propria.

IV.

Esse vero Angelos & vere existere probat (a) Scriptura & quidem 1. *Diis manifestissimis* Ps. 91, II. Ps. 104, 4. Ebr. 1, 5. c. 7, 13. c. 2, 5, 7. 2. *Nominum varietate, quibus eos appellat, ut dicetur infra.* 3. *Apparitionibus.* 4. *Premiis bonorum & penit malorum.* 5. *Nostra similitudine Angelica futura* Matth. 22, 30. Luc. 20, 36. Probat A 3

bat itidem Angelos esse ipsa. (2) *Experientia* in obsessis,
qui quanquam homines idiotæ, loquuntur linguis ni-
hilominus peregrinis & de rebus alias incognitis, imo
sæpe blasphema & mendacia in Deum ejusque Ver-
bum effundunt; quod cum Deo ascribi non possit,
statuendum certe est: dari adhuc alios spiritus præter
hominis animam & Deum. Nec potest homini ipsi
ascriri cum supponatur idiota & linguarum peregri-
narum ignarus. Plures ex ratione probationes addu-
cit Clarissimus noster Scharffius lib. 3.c. 2. *Pneumatices*.

V.

Sunt ergo Spiritus isti ætherei seu angeli vera *sæ-
curea* sc. realia non fictitia vel tantum ita apparentia,
quasi Larvae vel Spectra essent: sive inania & mera
sonnia.

VI.

Unde patet delirasse *Sadduceos* & *Anabaptistas*,
qui furorem istum suum fecere, dum docuere, non
esse peculiares creaturas, quæ vocentur Angeli; Sed
si quando Deus exerat suam potentiam ad nocendum
vel puniendum, hoc vocari malum Angelum; & econ-
tra bonum appellari, si quando Deus custodiatur ac con-
servet, quum Scriptura Deum non tantum condidisse
visibiles, corporeas creaturas, verum etiam *invisibiles*,
sive *in celo* ut sunt Spiritus, quos Angelos vocat, sive *in
terra*, ut sunt Spiritus, quos animas hominum vocat.
Col. 1, 16. & 20. testatur.

VII.

Deinde quoque detestandam esse *Libertinorum*,
Atheonum & *Epicureorum* Securitatem, qui in tan-
tam vesaniam prolapsi sunt, ut nec Deum nec Angelos
in illa vitæ parte reverentur; Putentque *Doctrinam*
de *Dæmonibus* esse egregiam fabulam, nec tam de-
formem esse *Diabolum* uti pingitur.

Vo-

VIII.

Vocamus ulterius Angelos substantias per se subsistentes, quae non in alio sustententur, nec pars alterius sint, sed per se subsistant. Unde ab Augustino in Enchiridio vocantur Personæ.

IX.

Et quidem tales, quae non habent carnem & sanguinem, sed spiritus & spirituales substantias. Igitur ab anima & spiritu hominis differunt. Hæc enim est pars Hominis, & in corpore tanquam domicilio suo vivit.

X.

Spiritus esse Angelos & quidem Simplices probatur 1. luculentissime ex Scriptura Ebr. 1, 7. & ult. 1. Reg. 22, 21. Matth. 8, 16. Jam vero Spiritus carnem & ossa non habet Luc. 24, 39. 2. Probatur inde, quia carent quantitate, siquidem illæsi & immoti possunt penetrare corpora naturaliter Actor. 12, 7. His addunt 3. quia in uno obfesso plures Spiritus mali possunt esse Matth. 12, 45. Luc. 8, 30. 4. quia tandem Spirituales operationes percipiunt, ut intelligere res varias, Libere operari & agere, quae actiones immateriales sunt & Spiritualitatem confirmant.

XI.

Cum autem Angelos per se & sua natura Spirituales Essentias dicimus scil. quae constent substantia abstracta ab omni Materia seu quae expers sit omnis corporeæ & sensibilis molis, sequitur quod, cum angeli corpora assumunt, id fiat non natura necessitate sed per accidens & dispensationem peculiarem, seu natu
ōmōvīā.

XII.

Assumferunt enim corpora vera, non ~~phantasma~~, alias enim in sola videntis ~~phantasma~~ existissent, ut sta-

tuisse videtur R. Mo^se de quo apud Thomam de por. Dei
quest. 6. art. 7. attamen aliena & adventitia, non neceſſaria ac perpetua ideo, ut eo commodius nobiscum
juxta Dei mandatum conversari possent. Cum enim
sint Spiritus, & ab hominibus in hac mortalitate vide-
ri non possint, utique coſmodior ratio iniri non po-
tuit, quam si corpoream moleſſum erent eamque
forma affiſſe non informantē, regerent, moverent,
uſque dum diuino eſſet ſatisfactum mandato,

onſolliſſimob mīſerit

XIII.

Suffragantur nobis Patres, ut Ignatius, Basilius, Na-
zianzenus, Nyſſenus, Epiphanius, Chrysophorus, Cyrillus,
Hieronymus, Fulgentius & Gregorius.

XIV.

Contra vero statuerunt Platonici omnes teste Lu-
dov. Vive in Schol. super 15. Auguſt. de Civ. Dei c. 23. quos
ſequuti ſunt nonnulli Patrum præſertim Græcorum.
Origen enim περὶ ἀρχῶν ſunt corporei. c. 2. 3. 8. Tertul-
liano itidem, ſed ſine carne. lib. de Carne Christi; Caſſa-
no Tenuujus noſtro corpore corpus habent Collat. 7. c.
15. Auguſtinus quamvis in Enchirid. ſc. 59. & lib. 21. de
Civ. Dei c. 10. fluctuare videatur, attamen Ludov. Vi-
ves probat l. d. eundem statuere alibi angelos corpori-
bus eſſe præditos. Plures Patrum vide apud Zanobi-
um Tom. 3. de operibus Dei lib. 1. c. 3. col. 68. h. ubi & ipſe
eligit ſententiam Auguſtinii tanquam probabiliorem,
quod angeli non ſimpliciter & prorsus incorporei
ſint, quamvis Platonicorum ſententiam de variis cor-
poribus, cœleſtibus, aereis, æthereis & aliis miſſam fa-
ciat cum Patribus.

XV.

Patres ita inter ſe coimmiſſos conciliare niſi ſunt
Gre-

*Gregorius & Beda Breswyter Tom. 2. περὶ θεοῦ lib. i, p.
314.* quos Scholastici fecuti sunt, dicendo, comparatio-
ne DEI, eos dici corporeos, nostri, esse spiritus, quæ di-
stinctio & Damasceni est cap. περὶ τῶν αγγέλων. Verum,
an ad gustum Patrum omnium id dicatur, alii dispiant.
Nos scimus Angelos esse Spiritus simplices, quamvis
simplicitas eorum longissime distet ab absolutissima Dei
simplicitate.

XVI.

Alii dicunt Angelos corporeos dici posse, quatenus
corpus pro ente sumitur & umpræ opponitur. Verum
quamvis haud nesciamus Tertullianum Deum etiam di-
xisse corpus, seu ut exponunt, substantiam, idque vulgi
ex captu, quod solum corpus pro substantia habet; atta-
men ad omnes Patrum id i. accommodari non poterit.
2. non quovis modo de divinis loquendum & disputan-
dum, sed cum Scriptura & Ecclesia. Neque angeli et-
iam essentia vel ab intrasunt corruptiblos, ut hac ratione
corporeos dicendos cum non nemine existimes: sed in-
corruplices plane, quamvis ea virtute, qua sunt crea-
ti, in nihilum redigi possent.

XVII.

Compositi quidem Angeli dici possunt, non tamen
ex materia & forma proprie sic dicta, nec ex partibus
quantitatibus in propria significatione sumptis sed i. ex
essentia & esse, siquidem sunt entia per communicatio-
nem, non per Essentiam, ita enim Dii essent. 2. Ex natu-
ra & supposito Angelos enim suppositari, ut loquuntur
Philosophi, negari non potest. 3. Ex genere & differen-
tia, Definiri enim possunt. 4. Ex substantia & accidente,
habent enim r̄ velle & intelligere, quæ sunt potentiae
naturales vel qualitates.

B

Qui

XVIII.

Qui vero absolute compositos esse angelos statuunt, Argumentantur, ut suam sententiam stabiliant. i. ab *Angelorum in corporeo habitu apparitione*. Verum nimis in firmum est hoc argumentum. Non enim omne id quod aliquando corpore amictum apparuit, est corporeum; ita enim etiam Deus esset corporeus, quippe qui se manifestavit in forma corporea Gen. 18, 2. c. 32. 24. Jof. 5, 13. Augustinus respondet: non necessitatis sed potestatis & convenientiae id esse. Unde v. Angeli ejusmodi modi corpora assumserint, an ex aere, an sibi ipsi eadem vel Deus eis ex eodem aut ex nihilo formarit; quo tandem deponant & quomodo resolvant; an corpora pie defunctorum induerint, nostrum non est disquirere; cum Scriptura hic taceat. Ea vero tacente, quis audeat loqui.

XIX.

Pergunt objiciendo, ut suam crassam & nimis corporem sententiam obtineant, dicuntque Angelos sibi uxores duxisse Gen. 6.2. At locus ille falso de Angelis adducitur, cum loquatur de posteris Seth & Enos, qui veram religionem profitentes, de nomine Dei appellari consuererunt. Ut e contrario *Fili hominum* impiam Caini progeniem denotant. Gen. 4. v. ult.

XX.

Sed & ad ignem infernalem confugiunt, quo cum premantur Angelii, eos corpoream molis haud esse expertes, invicte concludere sibi videntur. Verum falsam cum hic alant hypothesis, mirum non est quod errant. Ignem enim infernalem materialem & cum nostro Elementari, ejusdem speciei esse tanquam verum cum Bellarm. l.2. de purgat. c.21. Gregor. de Valent. tom. I. in Thom. disp.

disp. 4. quæst. 15. p. 1241. Musculo super c. 25. Matrb. præsupponunt; quod alibi locorum, merito in dubium vocatur. Et sit 2. ignis iste materialis: præstare tamen ex divina ordinatione & virtute poterit id de facili, quod ei ex naturæ conditione communis legatum est.

XXI.

At Palmarium est, quod *Zanchius l. d. vehementer* urget, *Angelos videlicet moveri localiter, loco, transire per loca & per spacia locorum, quod non fit sine corpore.* Verum *λαν μίγα ζητεῖν.* Mutare angelos suum ubi, extra controversiam est, sed fieri id localiter, probandum. Nos contra sic concludimus: *Quicquid non habet situm & ordinem partium, id propriè non est in loco, & per consequens localiter non movetur.* Sed incorporeæ creaturæ non habent situm & ordinem partium extra partes. Ergo. Plura vide. apud B. Meisnerum par. 1. Phil. Sobr. Sect. 4. quæst. 3. p. 115. 116. Quod vero Angeli quoque dicantur in loco id sit æqui voce. Non n. sunt in loco sed Ubi; non in loco *Physico & corporali* sed in loco *intellectuali & Metaphysico* ut distinctionem hanc inculcat *Damasc. lib. 1. de F. O. c. 17.* Mutant ergo, quum essentia finitis sint, sua ibi, quæ occupant definitive Angeli, quamvis in loco non sint, adeoque nec localiter proprie moveantur.

XXII.

Tandem ad corpoream substantiam Angelorum obtinendam objicitur, quod *Angeli comedent & munera vere vitalia obierint.* Verum Resp. Augustinus: *Ederunt non necessitate sed tantum potestate:* Etenim non potestas sed egestas talibus corporibus auffertur. Quid multis? Ederunt non ut cibum & potum concoquerent & in ventriculo digererent, quemadmodum sit in corporibus

B. ribus

ribus materialibus & mistis; sed ut saltem sumerent &
ab sumerent.

XXIII.

Multi tamen dubitarunt in eo, quod munia vere vitalia objerint, vereque comedent, & dicunt quod tantum visi fuerint comedere, cum tamen revera non comedent. Sicut Moses Angelos vocat viros, non quod tales essent, sed viderentur esse. Imo Angelos nec cibum concoquere, nec in alimentum convertere potuisse, ut pote Spiritus, igitur nec veræ vitæ munia expeditre potuisse.

XXIV.

Nos tamen vere eos comedisse, inducti Scripturæ auctoritate, quæ nullibi veritatem istam per dictionem exponit, asserimus, a qua recessendum non est. Et licet Spiritus naturæ necessitate cibo non egeat, non tamen propterea qui comedit, concoquere etiam & in alimentum convertere necesse habet. Haud esse enim ad veram mandationem necessariam in ventriculo concoctionem versionemque in sanguinem & succum, Christi comedio, quæ vera comedio fuit, secus enim resurrectionem non probasset, vere testatur. Luc. 24, 41, 43. Glorificati vero corporis natura ut cibus in nutrimentum convertatur, haud permittit. Luc. 20, 36. Nec statim sequitur non fuisse munia eorum vitalia. Licet enim non vificabantur ab anima, virtute tamen angelica singulari ita afficiebantur, ut apta essent, per quæ loquela, tactus, motus & similia viventium opera exercerentur. Unde Beda eleganter dicit: *Aliter absorbet aquam terra sitiens, Aliter Solis radius calens, illa indigenitiae hic potentia.*

Lo-

XXV.

Loquela etiam Angelis competere certum est,
qualis autem ea sit, definire non possumus, talis tamen
esse non potest, qualis est hominum, destituantur enim
membris organicis.

XXVI.

Intelligunt etiam Angeli non quidem per *animam*,
quia sunt spiritus, nec per *Essentiam*. Sic enim illa esset
omnium rerum imago & causa exemplaris: proindeq;
infinita, quippe res omnes, tum quæ existunt, tum quæ
existunt, tum quæ existere possunt earumque differen-
tias referens: neque per *species a rebus abstractas*; sed
per rerum similitudines, a creatione sibi statim concre-
atas, quantum ad eas res attinet, quæ ad naturalem An-
gelorum cognitionem eorumque perfectionem natu-
ralem, quæ in intelligendo posita est, pertinent: *Futura*
v. contingentia bifariam cognoscuntur: vel *in seipsis*
vel per suas causas: *In seipsis*, aut per propriam virtutem,
quomodo solus Deus cognoscit futura: vel *afflato divi-*
no quomodo angeli & Prophetæ. Ex causarum inspe-
ctione eventus futurus non eodem scitur modo. Deef-
fectu, qui in causa est hic non queritur; Eum enim &
homo præ novit. Quod vero contingenter futurum
est, id vel *ως επί τὸ πλεῖστον* contingit; vel *ὅπ ὅτε ἔτυχον*, vel
etiam *ὡς ἔλαχιστον*. In primo genere cum quoque homi-
num sagacium ac *τοχαστικῶν* valeat *άγχιστα*, quanto plus
valebit angelicus intellectus. Posteriora vero solo Dei
afflato ac monitu sciri possunt. Vide de his egregie pla-
ne differentem Praeceptorem nostrum Communem
Magnum Jacobum Martini in *System. Theol. parte. I.*
diss. 8.

XXVII.

Jam ortus Angelorum considerandus venit. Non
verò
B 3

vero sunt a seipsis nec Deo coæterni, sed ab ipso creati.
Sicut enim Spiritus hominis ex nihilo factus & eidem
inspiratus est a Deo, sic etiam angelici Spiritus ex nihilo,
Solius Verbi virtute sunt conditi. Unde Damascenus dicit: *ipse Angelorum Factor & opifex Deus est, ipsos ex nihilo ad esse deducens, ad propriam illos creans imaginem, naturam incorpoream, ut spiritum quendam & immaterialem ignem.*

XXVIII.

Proinde nullatenus Materia creationis est *præexistens aliqua materia*, ita enim essent corporei vel Dei *Esfentia*, quæ simplicissima Exod. 3, 14. Apoc. 1, 7.

XXIX.

Creatos esse angelos, probat 1. Scriptura dictis manifestis. Ps. 148, 2. 5. Ps. 103, 20. Ebr. 1, 7, 14, Col. 1, 16. Dan. 7, 10. Ps. 19, 11. Ubi angeli expresse a Deo creati dicuntur, & creaturis cæteris annumerantur 2. Contrariæ sententiæ absurditas. Ita enim angeli rerum creatarum numero exempti creatoris in ordinem redigendi & tempore eximendi, pluralitasque infinitorum introducenda es-
set, Quæ nemo sanus affirmabit.

XXX.

De die quando Angeli creati sunt, maxima divortia sententiarum, Plurimi Patrum *Origines*, *Chrysostomus*, *Nazianzenus*, *Hieronymus*. quos vide apud B. Gerhardum. tom. 2. de creat. §. 38. ante mundum conditos esse afferue-
re. Verum cum Scriptura eo probet ipsam æternitatem, ut patet Job. 17, 5. Epb. 1, 4. 1. Pet. 1, 20. Ps. 90. Prov. 8. Job. 1. sententiam eam merito rejicimus & creationem Angelorum ad *εξαιρεσον* etiam referendam, afferimus, cum Scriptura Exod. 20, 11. clare dicat; *Deum spatio sex die-
rum creasse celum & terram & mare & quæcunque sunt in ei;*

eis; Ethoc Epiphonema operibus creationis a Scriptu
S. adjiciatur. Gen. 2. 1. Perfecti sunt cœli & terra & omnis
exercitus eorum, a quo angeli excludendi non sunt. Quo ipso
Gennadii & Achartii etiam sententia rejicitur, statuenti-
um post mundi creationem deum conditos esse An-
gelos.

XXXI.

De die vero in specie subtilius & scrupulosius, quam
fructuose & salutariter queritur. Die primo eos crea-
tos esse nonnulli ex Job. 38, 7. Zanchius & qui eum secuti-
ex Ps. 148. 2. probare nituntur: Alii pro tertio die mili-
tant, argumento ducto ex Scriptura Col. 1, 16. & ratione,
prius de habitaculo bonitatem divinam prospexit
Creaturis reliquis, quam ipsæ essent, quem ordinem
nec in Angelis turbatum existimant. Alii ad secun-
dum diem confugiunt, cuius operibus ideo non sit ad-
ditum Elogium: *Vidit Deus quod esset bonum &c.* quum
eo die & creati & lapsi fuerint Angeli: Verum nos hic
πέντε χειρανά recipimus.

*Nescire velle, quæ Magister maximus
Docere non vult, erudira inscitia est.*

XXXII.

Mosen quod attinet, cur inter creationis opera An-
gelos expresse & quoad Literam non recenseat, multi
multas afferunt causas, easque varias. *Arbanasius, Chrysostomus & Theodoreetus* statuunt Judæos ingenio fuisse
ad idololatriam lubrico & proclivi, quod patet ex ar-
gumento vituli aurei & aliis. Quare Moysen veritum
esse, ne si cœlestium mentium dignitatem & præstanti-
am Hebræis manifestaret, hinc illi occasionem cape-
rent existimandi Angelos esse Deos & Divinis honori-
bus colendos. Igitur consulto eorum creationem in
enarrando mundi opificio commemorare superse-
disse.

Verum

XXXIII.

Verum infirma satis est ratio hæc, nam ante primi Libri Moysis scriptiōnem & egressū ex Ægypto Angelorum notitiam habebant Judæi ex Traditionibus Majorum Gen. 3, 24. c. 18. c. 19. c. 28. i. mo ob eam rationem maxime fuisset conveniens, ut Angelorum creationem exponeret atque ita omnem Judæis Idololatriæ occasionem præcideret.

XXXIV.

Cæteras Aliorum causas reticemus, & Verisimiliorēm hanc esse censemus. Quia i. imprimis visibilia & in sensu occurrentia Dei opera voluit Moses describere, nimirum eas creaturas, quæ ex mole illa prima conditæ sunt 2. Licet autem explicite eorum mentionem non faciat implicite tamen quam maxime, dum dicit: Omnia scil. celum & terram *cum omni exercitu*, intra sex dies perfecta fuisse. Gen. 2. i. 3. Sufficit quod ali bi Scriptura eorum mentionem faciat.

XXXV.

Hactenus ortum Angelorum descripsimus, sequitur jam Status. Conditi autem sunt Angeli omnes ex æquo in libertate arbitrii boni, sed ita ut illa Arbitrii sui libertate abuti & se ad malum inclinare potuerint.

XXXVI.

Bonitas illa in qua creati sunt Angeli, consistit in naturali ad bonum, non ad malum inclinatione, ita ut habeant excellentem essentiæ & omnium virium competentem & debitam perfectionem in veritate, justitia sapientia & potentia.

XXXVII.

Probari potest hæc assertio *ab ipsa creatione* Gen. 1. 31.
omnia

omnia, quæ fecit Deus erant valde bona 2. *Ab ipsa crea-*
tore, qui summe bonus est. Igitur nihil nisi bonum ab
ipso creati potuit. 3. *quia S. nuncupantur Matth. 25, 31.* 4.
Ex multorum lapsu, quippe qui dicuntur in veritate non
stetisse, nec originem suam servasse Joh. 8, 44 Jud. v. 6.
5. *Ex Divina ultione* 2. Pet. 2, 4. Jud. v. 6. Quorum vero
Deus est ultior, eorum non est Creator & causa, dicente
alicubi Fulgentio.

XXXVIII.

Natura igitur Angelorum una & eadem est, distin-
guuntur tamen in Bonos & Malos non quoad Essentiam
& respectu Originis, sed quoad officia & opera & respe-
ctu Lapsus.

XXXIX.

Angelos autem Malos non posse dici habere conge-
nitam propensionem ad malum, ac proinde natura ma-
los non esse, probamus. 1. *Anegatione medii propagatio-*
nis. Non n. generantur, ut *αἴρεται* una transplantari
posset, sed creantur. 2. *Ab Exemplo*, quia nec Adam di-
citur natura malus propter operum Dei perfectionem.
3. *Ab absurdo* quia malitia naturæ alias in Deum esset re-
jicienda, quippe qui eam creavit.

XL.

Errant igitur Manichæi & eorum Asseclæ, statuen-
tes, Angelos quosdam creatos esse bonos, quosdam ve-
ro malos, & quidem illi, ut homines custodirent, hi ve-
ro ut eos tentarent. Nec quicquam hoc facit dictum
Salomonis *Prov. 16, 4.* Nam Salomon nihil aliud vult,
quam Deum causam efficientem esse omnium rerum
creaturum, adeoque etiam impiorum, sed non quoad
impietatem, sed quatenus homines sunt. Propter im-

C

pie-

pietatem autem eorum & scelera destinavit eos ad di-
em malum, hoc est, ad supplicium.

XLI.

Causa vero cur Angelorum nonnulli bonitate & in-
tegritate, in qua creati fuerunt, exciderint, seque in æ-
ternum infernalis ignis barathrum præcipitaverint,
nonnulli vero in bonitate persistenterint, & ita confirmati
in bono nunc sint, ut deficere non queant; est in illis li-
beri arbitrii abusus Job. 8, 44. Jud. v. 6. in his vero, non
Angelorum merita ut Scotus 2. sentent. dist. 5. q. 2. Thomas.
par. 1. q. 64. art. 4. audacter sane pronunciant, sed gratia
Dei quam nefario ausu haud expulerunt. Job. 8, 44.

XLII.

Male igitur Zanchius causam perseverantiae Bon-
rum ponit in Electione & sufficienti gratiae communi-
catione; Lapsus vero Malorum in simplici reprobatio-
ne & gratiae subtractione. Nam ut i. taceam, Angelos
proprie electos & reprobatos dici haut posse: Electio
enim in Christo Mediatore & Redemptore fundatur
Epb. 1, 4. Job. 3, 16. Nemis 2. in Dei impingitur bonitatem
& justitiam, quasi non sufficientia subministrasset media-
sique jure meritoque causa lapsus Deo ascribenda fo-
ret, quam Scriptura Diabolis unice vendicat. Job. 8, 44.
Jud. v. 6.

XLIII.

Angelorum autem bonorum in bono confirmatio-
ni probamus i. Ex diserta Scriptura assertione Matth.
18, 10. Hinc dicuntur angeli electi i. Tim. 5, 21 Angelis sancti
Marc. 8, 38. 2. Ex nostracum Angelis quondam conformita-
te, quæ plane in nobis immitabilis erit. Luc. 20, 36. 3. ex
promptissima officii Executione Matth. 6. 10.

Con-

XLIV.

Contra ex abusu Liberi Arbitrii Malorum Angelorum sequitur aeternalis eorum perditio, utpote qui ita jam in malitia obdurati sunt, ut amplius nec possint nec velint resipiscere & salvari; quod probatur 1. *Ex actu peccandi continuo.* 1. Joh. 3, 8. 2. *Ex justo Dei iudicio,* qui gravitatem primi peccati ulcisci & punire constituit Matth. 25, 41. 2. Pet. 2, 4. 3. *Ex Mediatoris defectu,* quippe Filius Dei non semen Angelorum sua sponte lapsorum, sed semen hominum a Diabolo seductorum assumit. 4. *Ex statu Bonorum opposito.*

XLV.

Errant igitur Arminiani, Bonorum Angelorum confirmationem in bono negantes, & novitatis haut necessariae communem hanc Ecclesiae haec tenus sententiam accusantes, inde quod Liberum arbitrium Angelis hac denegetur ratione.

XLVI.

Verum notandum qualis libertas in Angelis detur. Scriptura enim mentionem fecit quadruplicis Libertatis 1. *A peccato* Joh. 8, 36. quæ non modo adempta est bonis Angelis, sed & adaucta quam maxime 2. *a miseria.* Rom. 8, 19. 20. qua Angeli boni etiam sunt liberi, quia est pena peccati. 3. *a necessitate & coactione,* a qua libertate qui exemptos negant angelos; immane quam falluntur. Licet enim non possint non velle bonum, non tamen coacte sed *ex gratia* & sponte sua bonum volunt, cum antea actu quidem Liberi erant a velle malum, sed non potentia. Hæc autem libertas major est non solum actu sed ipsa potentia, jam non posse peccare, ideo prior libertas melior est redita & perfectior scilicet a peccandi facultate. 4. *Lib.*

C 2

ber.

*bertas qua quis & in bono perseverare & a bono ad malum
discere potest ut Gen. 2,16.17. uti fuerunt omnes angeli
Joh. 8,44. Quæ quidem Libertas in Angelis bonis sub-
lata est; sed inde nullatenus concludas, eos libertate ar-
bitrii non gaudere, quum & Deo ad malum inclinandi
potentia & facultas denegetur, qui tamen Ens omnium
liberrimum.*

XLVII.

*Origines statuit Diaboloſ aliquando salvandoſ. Ve-
rum cum ipſi ſatisfacere pro peccatiſ non poſſint, neq;
Christi ſatisfactio ad illos pertineat, neque ullum aliud
λύτρον pro Diaboliſ detur, manent vinculiſ æterniſ ſub
caligine inferorum reſervati, & licet nunc quoque ſuas
perſentiant peccatiſ, longe tamen atrociora ſupplicia
in extremo die ſubire neceſſe habebunt. Matth. 8, 29. c.
25, 41. 2. Petr. 2, 4.*

XLVIII.

Sed ſunt, qui & Angelos reconciliatoſ eſſe, habuiſ-
ſeque opus mediatore contendant. Zanch. par. 1. lib. 3. de
operibus Deic. 21. Polanus in Syntagm. Bucanus & alii. Ve-
rum Angelos in Christo ſubſiſtere & conſervari, ab eo
que creatoſ eſſe concedimiuſ, Col. 1, 15. 16. at eſſe Chri-
ſtum eorundem Mediatore negamuſ 1. a ſilento Scri-
pture, quæ nullibi Angeloruſ, ſed hominiū memi-
niuit 1. Tim. 2, 5. a denegatione aſſumptioniſ Ebr. 2, 14. 3. ab ex-
elufione gaudiſ quantum ad meritum Luc. 2, 10. Natus eſt
VOBIS Salvator 4. ab abſurdo. ε μετένθεντος δικαιολογοῦσθος Gal. 3, 20.
Quod vero attinet locum Eph. 1, 10. qui imprimis fertur
habemuſ expoſitionem c. 2, 19. adeoque ἀνάντα λαχανίδας
dicuntur τὰ πάντα quatenus & Angeli reduciſ ſunt cum
homiñib⁹ in pacem, concordiam & conjuŋctionem,
ita ut nunc miniftrant illis, quos Paradyſo ejecerunt
Ebr. 1, 14. Gen. 3. v. ult.

Huc

XLIX.

Huc etiam pertinet ut adjungamus, quale fuerit peccatum Diabolorum, quod quidem Scriptura non exprimit. Versimile tamen est, *mera superia & divinitatis affectione* excidisse eos ex gratia Dei. Contemplatione enim nimiaque admiratione suæ Angelicæ dignitatis, indignum ratus est Diabolus, si ullius pareret imperio. Id patet ex Gen. 3,5. dum primos parentes hoc ipso peccato tentavit, uti etiam ex perpetuo conatu, quo gloriam Dei in se transferre studet. Matth. 4,9.

L.

Subjecta malorum Angelorum patesciunt loca, quæ obtinent. Ratione ipsorum culpa *infernum*, ratione nostri, *bunc aerem* incolunt Luc. 16, 23. Eph. 6,12. & quamvis vix ulla loca sint, quæ Diabolus non infestet, frequenter tamen invadit 1. *Loca deserta & inculta* Es. 34,13. 2. *Paludosa*, quod colligitur ex Luc. 11,34. 3. *Specus subterraneas & fodinas metallicas*. 1. Sam. 18. 4. *Loca memorabili & cruenta clade* illustres, aut innocentis sanguinis effusione maculata, 6. *Loca a Viris religiosissimis inhabitata*, quod testatur historia Jobi, Divi Lutheri & aliorum, De qua re possunt consuli historiæ profanæ & quotidiana experientia.

LI.

Jam progredimur ad Affectiones & adjuncta Angelorum, quæ in primis sunt. *Scientia & Potentia*. Scientia autem Angelorum eximia est Matth. 24,36. ita ut norint 1. DEUM Matth. 18,10. quod commune ipsis est cum Beatis 1. Joh. 3,21. Cor. 13,12. 2. Seipso 1. Cor. 2,11. 3. *Statum iustici mundi*, utitur enim Deus ministerio eorum in piis defendendis & malis puniendis & in mundo gubernando Ps. 34,8. Ps. 103,12. Heb. 1,17. unde & preces piorum nocte

C 3

tæ ipsis sunt, vel a Deo revelantur Act. 10, 4. Apoc. 5, 8. & muneres jubentur decoris causa habere caput velatum in Ecclesia propter Angelos 1. Cor. 11, 10.

LII.

Licet autem habeant excellentem rerum scientiam præ omnibus Creaturis, non tamen immediate ac certo omnia cognoscunt, ut *Mentis Cogitatione* quod solius Dei proprium est 1. Reg. 8, 38. Jer. 17, 10. Ex signis vero exterioribus, corporum dispositione, studiis hominum &c. probabiliter & verisimiliter eos, ut Spiritus sagacissimos interiora animi cogitata quandoque percipere aliisque exponere posse, haud negamus.

LIII.

Neque nosse possunt a priori Fidei mysteria, quæ Deus pro salute hominum æterno suo consilio constituit. QuamDei voluntatem si nosse possent, possent Dei voluntatem penetrare, quod absurdum. Paulus certe Rom. 16, 25. Evangelii Mysterium *χείροις αιωνίαις στεγυμένον*, clare asserit. Confer. Ephes. 3, 9. Col. 1, 26. 2. Tim. 1, 10. Tit. 1, 2. Unde revelata etiam Fidei mysteria, quorum profunditates exhaustire nullatenus possunt, *ἐπιθυμεῖν παρακίνησα* dicuntur. 1. Pet. 1, 12.

LIV.

Ignorant etiam Futura vere contingentia, quæ scil. raro & fortuito fiunt, & si praevident, fallibilia tamen sunt, & non certa eorum iudicia, Solius enim Dei esse omnia nosse, docet Scriptura. Eze. 41, 26. & si quæ futura prænunciant, a Christo haussisse Scriptura affirmat. Apoc. 1, 1. c. 22, 6. 16. Sic Diei extremi adventus eos latere ex Marc. 13, 32. liquet.

LVI

Cum igitur non sint omni scientes aut *παραγόντες*, igitur haud adorandos esse, sequitur. Errant igitur Pontificii, qui statuunt Angelos adoratos esse & adhuc adoran-

randoſ, quoſ refutat Scriptura, dum cultum hunc ſoli
Deo aſcribit. Deut. 6, 13. Matb. 4, 9. Col. 2, 18. & ange-
loſ cultum adorationis a ſe rejeciſſe & Vero Deo inſoli-
dum eum inpendendum eſſe, docet Apoc. 22, 8. c. 19, 10.

LVI.

At habent ἀγελαζεα, quibus fucum imperitis fa-
cere conantur excipiendo & Lorbum & Jacobum Ange-
loſ adoraffe & Jobum, in ſubſidium eos vocaffe, & Joban-
nem a ſeptem Spiritibus gratiam Eccleſias precari. Verum
diſtinguendum i. in adorationem civilēm, quae ad ſecun-
dam decalogi tabulam pertinet, & ſpiritualem quae ad
primam, inque fideli cordis fiducia conſiſtit & ſoli Deo
competit. Non igitur hac, ſed illa Lothum Angelos ve-
neratum eſſe, ex contextu liquet. Jacobus non ange-
loſ creatum, ſed increatum, Filium nempe Dei adora-
vit, quem Patri & Sp. S. in adoratione una conjungit,
quod de creatureſ haud dici potest. Job Angelos invo-
caſſe probandum. In textu enim ejus nullum veſtigi-
um. Johannes autem per 7. Spiritus non tot creatos;
ſed Spiritum S. intelligit, qui licet perſona ſit una ſe-
cundum ſubſiſtentiam, communicatione tamen virtu-
teſ & operationiſ ſue in Septem illas Eccleſias ita per-
fecte ſe aperit & exerit ac ſi totidem eſſent Spiritus per-
fecte in ſua quiskoſ Eccleſia operanteſ.

LVII.

Ex Thesi noſtra etiam corruit ſententia Durandi,
ſtatuentis, Angelos quidem cognoscere cogitationes,
ſed tantum quae de praefenti ſunt in intellegetu, non de-
futuro, nos autem jam antea probavimus, non poſſe
Angelos ſimpliſter & certo ſcire cogitationes, five
ea praefenteſ five præterita, five futurae ſint. Posito
enim hoc; non ſolus Deus eſſet οὐδεὶς γνῶſης, ſed cum
eo etiam Angeli.

Malo-

LVII.

Malorum Angelorum scientia etiam eximia est. Non
runt enim i. Deum, ita ut trepident. *Jac. 2, 19. Act. 16, 17.*
c. 19, 13. 2. Seipso*s* i. *Cor. 2, 11.* 3. Statum hujus universi
Zob. 1, 6. 7. 1. Per. 5, 8. 4. Quædam futura, unde ex subti-
litate naturæ, temporum experientia & revelatione
quædam præscire & prædicere possunt. Igitur Deus
prohibet ne Pseudo prophetis credamus dicentibus fu-
tura *Deut. 13, 2.* quum & vera dicens Diabolus fallat de-
cipiatque Vide *August. 1, 9. d. Civ. Deic. 22.* In hominum
vero voluntates a priori quum Angeli boni involare ne-
queant, ut dictum est, multo minus diabolis id ascri-
bendum erit.

LIX.

Altera Angelorum Affectio est *Potentia*, quæ quidem
magna satis est, ita tamen limitata, ut potentia Dei omni-
bus modis sit inferior.

LX.

Potentia Bonorum patet ex Nominibus. Vocan-
tur enim i. *Archangeli*, quando in maximis Dei rebus ab-
legantur, annunciaturi aut facturi res arduas i. *Theff. 4,*
16. 2. *Throni*, vel quod Throno Dei semper assistant, vel
quod Deus in Angelis suam velut sedem collocasse & ab
his ceu in curru regio vehi prædicetur *Ps. 18, 11.* 3. *Domi-
nationes*, Principatus, Potestates *Col. 1, 16.* quod Deus im-
perium suum per Angelorum ministerium in mundo
administret, & potentiam suam exerceat. 4. *Virtutes*,
Exercitus. s. celestis militia, quod Dominum ceu stipa-
tores cingant, & his ille utatur veluti militibus suis di-
ctus Deus Sabaoth, 5. *Cherubim* a celeritate, quod ve-
loces Dei mandatum exequantur, ut nonnulli existimant.
6. *Seraphim* ab ardore s. splendore, tum substantiae, tum
donorum.

Por-

LXI.

Porro potentia aliaque Angelorum bonorum virtutes spectandae sunt in aliis ipsorum specialibus nominibus ut 1. *Gabriel*, Fortitudo Dei Dan. 9, 12. Luc. 1, 26. 2. *Raphael*, Medicina Dei Tob. 12, 15. 3. *Uriel* Lux Dei 4. *Esd*, 4, 36. 4. *Michael* quis sicut Deus Dan. 10, 13.

LXII.

Sic Malorum Angelorum potentia quidem magna, sed Dei gubernatione sic ligata, ut citra permissum ejus ne quidem in porcos grassari *Mattb.* 8, 3. imo nec pediculos creare queant *Exod.* 8, 18. Exercet vero divina permissione hanc potentiam tuin in pios, tum etiam in impios *Job.* 1. *Eph.* 2, 2. *Tim.* 2. *Mattb.* 2. Repte Gregor: 2. moral. A seipso Diabolus nocendi voluntarem habet, sed a Domo potestatem, igitur confidenter Ecclesia canit:

Si mundus hic Dæmonibus Scateret sicut vermis,
Nil timeremus anxie, Vincamus tandem strenue
Princeps Mundi superbiat, Ringatur & insaniat.

LXIII.

Patet similiter Potentia Diaboli ex Nominibus ipsi assignatis. Vocatur 1. Princeps Mundi *Joh.* 12, 31. c. 16, 11. *Eph.* 6, 12. adeoque Deus hujus seculi 2. *Cor.* 4, 4. 2. *Serpens*, ob astutiam decipiendi & cupiditatem nocendi. *Gen.* 3, 1. *Cor.* 5, 3. *Draco magnus* *A poc.* 12, 13. 4. *Dæmon*. *Matth.* 8, 30. *Jac.* 2, 19. *Levit.* 17, 7. *Deut.* 32. *Matth.* 12, 24. *Luc.* 11, 14. 5. *Sathanas* *Zach.* 3, 1. 6. *Diabolus* *Matth.* 4, 7. *Spiritus malus* 1. *Reg.* 22, 21. 1. *Sam.* 18, 14. 8. *Mendax* 1. *Reg.* 22, 22. *immundus* *Zach.* 13, 2. 9. *Spiritus fornicationis*. *Of.* 4, 12. 10. *Vertiginis* *Ef.* 19, 14. 11. *Leviathan*. f. *Balena* *Ef.* 27, 1. *Job.* 4, 20. 12. *Afmodæus* *Tob.* 3, 8. Confertur fortiaarma-to. *Luc.* 11, 21. *Leoni rugienti* 1. *Pet.* 5, 8. *Eph.* 2, 2. c. 6, 13.

D

Exin-



LXIV.

Exinde tamen non sequitur singulis Angelis sua esse nomina, uti nonnulli statuerunt, Scriptura enim nupsiam docuit singulis Angelis sua esse nomina, sive ea Deo sint notissima, sive nobis ignota.

LXV.

Licet autem potentiam maximam Angelis tam Bonis quam malis ascribamus, miracula tamen a seipso efficere non possunt. Nam Vis & potentia eorum Deo est subiecta & naturam universalem mutare non potest. Unde Diabolus nec producere, nec immediate transmutare potest corpora naturalia, neque miracula propriæ sic dicta edere. Quod etiam de bonis, naturam ipsorum si spectes, negatur. Signa autem & prodigia cum Scriptura ipsis concedimus Matth. 24, 24. 2. Thess. 2, 9.

LXVI.

Vim & potentiam Diabolorum ita ligatam esse, ut non possint omnia quæ velint probatur 1. quia sunt creature 2. quia interdum deficiunt vires Exod. 8, 18. 3. quia diu cœlum, si potentiam habuissent, turbassent 4. quia ita non solus Deus faceret miracilia Ps. 136, 4. Ps. 27, 18. immo qua veritate Moyses, Prophetæ, & Apostoli adhibuisserent miracula ad faciendam fidem doctrinæ suæ, tanquam veræ, si Diaboli vera miracula edere possent Joh. 10, 38. c. 14, 11. Joh. 15, 24. Marc. 16, 17.

LXVII.

Objicitur quidem quod Magi ediderint miracula E. xod. 7, 12. verum baculi ægyptiorum Magorum non sunt vere & realiter transmutati in serpentes, uti Baculus Aarons. Facile enim opera & artificio Diaboli potuerunt in locum projectarum virgarum modo invisibili serpentes

pentes aliunde allatos substitui, vel spectantium oculi phantasmate eludi. Non enim, quod notat B. Gerb.
loc. Com. par. 2. de creat. & angelis §. 76. sufficit ad rationem miraculi, si aliquid fiat præter ordinem alicujus naturæ particularis, sive præter ordinarium faciendie modum: Sed ex eo proprie dicitur miraculum, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ. Diaboli per repentinam activorum naturalium ad passiva applicacionem, multa faciunt, quæ nobis mirabilia videntur, suis etiam præstigiis deludunt homines.

LXVIII.

Nec quicquam sententia nostræ contrarium adstruitur Deut. 13, 1. 2. Nam opera quædam Diaboli suas habent in natura causas, occultas tamen & nobis ignotas, ipsis vero notissimas quæ imperitioribus plane ad miranda videri possunt. Sic etiam per motum localem plurima faciunt Job. 1, 16. 19. Luc. 4, 5, 6, 7. imo quædam opera, Diaboli meræ imposturæ sunt & elusiones, quæ nobis tamen admiranda videntur.

LXIX.

Hic contrariae sententiae Propugnatores, velut ad sacram Anchoram configunt ad historiam Samuelis 1. Sam. 1, 8. clamitantes, Diabolum animas demortuorum in hanc itam revocare posse, quod nos plane negamus, quia 1. Soli Deo hoc elogium tribuitur Job. 5, 15, 26. Rom. 4, 17, 1. Tim. 6, 13. 2. Priorum animæ in gaudium receptæ non subjacent potestati Sathanæ Apoc. 14, 13. impiorum a. animæ in infernum detrusæ ibidem commorantur ut æternas scelerum pœnas luant. Luc. 16, 26.

LXX.

Samuelem vero illum quod concernit, non certe
D 2 verus

verus fuit sed personatus & Dænom ipse talis habitu,
specie & ætate, voce & affectu qualis fuit Samuel &
quem ille videre & cum quo colloqui voluit. Dei enim
virtute in vitam revocatus non est, quia ipse præcepit,
ne mortu consulerentur. *Lev. 19. Deut. 18. II.* Diabolus
vero, quum illa consultatio gravissimum fuerit pecca-
tum, ifso delectatus est. Imo omnis, Deus sitatus respon-
sa dandi modus, Saulo interclusus erat, dicitur enim De-
us plane noluisse Saulo responsa dare neque per Pro-
phetas, neque per somnia. Et ecce qualis Samuel hic est?
cur dicit se molestia afficit dum evocatur; cum piis iussa
Dei prompte exequi certum sit? & vestigia mendacissi-
mi Spiritus ἐν ἀνθρώπῳ deprehende, quum ait: v. 9. *cras*
tu & filii tui mecum eriris. Hic in unum locum desperan-
tem Saulum & Fidelem Jonathan detrudi mendax?

LXXI.

Igitur nec vera enuncianti Diabolo, aures præbendæ
sunt. Ut enim duplēm habet rationem oppugnandi
Evangelium, scilicet per viam apertam persuadendo, vel
per mendacia se insinuando; ita etiam habet duas menti-
endi species, vel falsis doctrinis & crassis erroribus ver-
bum Dei evertendo, vel se amicum verbi simulando, &
quasi per cuniculos obrependo. Imo nunquam est no-
centior hostis, quam cum se transformat in Angelum lu-
cis. 2. *Cor. 11. 14.* Quando autem veritatem loquitur, tunc
facit hoc eo fine, non ut eam promoveat, sed ut suspe-
ctam reddat. Ut Christus Diabolo non permittebat su-
am de Christo sententiam proferre. *Marc. 1. 34.* quia Dia-
boli munus non est prædicare Evangelium. Unde & Pau-
lus Pythonissæ testimonium ægre fert *Act. 16. 18.* ne Apo-
stolorum ministerium in suspicionem abduceretur,
quasi

quasi ipsi cum Sathanā colluderent. Ita enim Evange-
lii fulgor mendacii tenebris implicitus fuisset, adeoque
extinctus.

LXXII.

Ita Diabolus frequenter interesse solet sacris cœtibus
quando sacer cultus peragit, scil. ut mysterium suæ
malignitatis peragat, & quoquo modo fructificationem
verbi intervertat, semenque prædicati verbi intercipi-
at, ne ad cor penetret, ut eo facilius auferat. c. 13. Marth.
quando vero non auferre potest, ad desperationem sol-
licitat per persecutiones & calamitates, uti inversibus
dicitur:

Ad templum Domini Sathanas locat arte Sacellum

Corrumpe studio verba stupenda Dei.

Item.

Quo status est major, quoquaque potentia major

Hoc sunt maiores Dæmonis infidie

Quo magis augeratur sanctis Ecclesia nervis,

Quo sancti plures hoc magis ille furit.

LXXIII.

Alias etiam Spectrorum fit mentio in Scriptura. Sap.
17. Ef. 31, 34. Marth. 14, 25. Luc. 24, 37. quæ nihil aliud sunt,
quam ipse Diabolus homines tum pios tum impios di-
vexans & affligens & quidem Deus id permittit ut Pio-
rum Fides probetur, impii vero a peccatis absterean-
tur, & ubi similia edocti, peccata fugiant. Diabolus
vero in piis eo allaborat unice ut in eis fidem labefactet,
& ut a Deo deficiant Job. 1, 8. 9. 10. c. 2, 1. 2. seqq. Deus ve-
ro in optimum finem, dirigit & metam temptationis col-
locat.

LXXIV.

Obsidet etiam homines Diabolus vel *Spiritua-*
liter, dum in mente tenebras & errores, in vo-
luntate pertinaciam, idolatriam, hæreses, scle-
ra & tentationes multiplices excitat, vel *Cor-*
poraliter, quos miserum in modum cruciat,

que eorum membra adeo duritur sicut ut sine lachrymis historias meminisse pius haud possit.

LXXV.

Porro potentia Angelorum clarius elucet ex Numero & Multitudine eorum, quae sane magna, minime tamen infinita. Multitudo eorum describitur Gen. 32, 2. Reg. 6, 17. Dan. 7, 9. 10. 11. Matth. 26, 53. Apoc. 5. Quot verero sint angeli, is novit, qui omnia novit, Nos, qui tarente Scriptura, meritotacemus, Deus numerum latere voluit.

LXXVI.

Nec potest numerus Angelorum colligi ex numero hominum, quasi unicuique homini certus & unus destinatus sit angelus, qui ejus curam gerat. Concedimus quidem ex Matth. 18, 10. & Act. 12, 15. aliisque locis plurimis, liquere hominibus angelos assignari. Hinc tamen certo non concludes, quod cuivis nunc tantum assignatus sit. Nam æque, cuique pio interdum plures angelos Scriptura assignat Gen. 32, 2. Reg. 6, 17. Ps. 91, 11. & uti uni homini plures spiritus mali insidiantur, ita etiam unum plium plures boni tuerentur. I.uc. 8, 27. Sic unus angelus multis piis ascribitur. Ps. 34.

LXXVII.

Non tamen sententiam Patrum, quam & alii suam fecere plane de ponte præcipitamus, qua asseruere unum uni assignari angelum a nativitate certum; Sed eam suo loco relinquentes, ex Scriptura novimus, integra angelorum castra vel unum Eliseum circumcinxisse 2. Reg. 6. Malum vero angelum ordinatum esse homini a nativitate juxta bonum, impietatis damnamus merito.

LXXIX.

Ex Numero postmodum certi ordines fluunt, ubi Scriptura quidem certitudinem ordinum affirmat: Explicationem v. ordinum & distinctionis rationem non re-
velat.

velat Bonorum ordo memoratur. *Col. 1, 18. 1. Theſſ. 4, 16. Ju-
dic. 9. Malorum Mat. 9, 34. c. 12, 24. c. 15, 41. Eph. 6, 12. Apoc. 12, 7.*
Distingui igitur ordines a nobis in hac mortalitate expli-
cari non possunt.

LXXX.

Abeunt a nostra sententia Scholastici, qui distinguitas
Angelorum Hierarchias & speciatim Novem eorum
ordines finixerunt. Quos ut ἀτεργάται effinxere, ita eo
nomine a nobis rejiciuntur. Nec admittenda est Bellar-
mini audacia, pro certo affirmantis, quod Diabolus fue-
rit caput angelorum. Nam Judaismum id sapit, qui &
certos Diabolorum ordines ita numero includit, ut tan-
quam ex memoriae promptuario singulorum nomina
recensere valeat.

LXXXI.

Tandem Potentia Angelorum etiam liquet ex Offi-
ciis eorum, quæ distingui possunt & quidem Bonorum
Angelorum respectu Dei & Hominum. Respectu Dei est
gloriae ejus manifestatio *Prov. 16, 4. Rom. 1, 20.* & voluntatis
divinæ executio *Pſ. 103, 10.* quæ consistit in laudi-
bus Dei decantandis *Eſ. 6, 3. Apoc. 5, 13. Job. 38, 7. Luc. 2,*
14. Pſ. 103, 20. 2. in jussis Dei expediendis. Gen. 16, 7. 1. Reg.
19, 5. Dan. 9, 21. Luc. 2, 10. quibus adde, quod Christum ad
judicium venturum comitaturi sint, eique in bonorum
& malorum separatione inservit *Matth. 13, 41, 42, 49, 50.*
c. 24, 31. 1. Theſſ. 4, 6.

LXXXII.

Resp. hominum pro piorum salute excubias agunt
Pſ. 91, 11. Heb. 1, 4. infantes in utero adhuc materno con-
clusos contra Diaboli technas defendunt, pios in mani-
bus portant *Pſ. 91, 11.* & post hanc vitam animas nostras
deportabunt in sinum Abrahæ *Luc. 16, 22. Matth. 13, 30.*

LXXXIII.

Specialiter in statu Ecclesiastico cursum Evangelii
proj-

promovent, delectantur hominum peccatorum penitentia. Matth. 8. 2. Maccab. 3. 2. Chron. 22. 2. Reg. 1. Es. 1. Ag. 12. c. 27. Num. 22, 22, 2. Reg. 6. 17. 1. Pet. 1. Luc. 15. 7. 2. in statu Politico defendendo solliciti sunt Exod. 23. Judic. 2. 2. Maccab. 10. Dan. 10. Apoc. 12. 1. Theff. 4. 3. in statu Oeconomico conservando laborant. Gen. 24. Tob. 6. 8. 2. Reg. 6.

LXXXIV.

Malorum Vero angelorum studia considerantur vel Ratione Dei, cui semper sunt contrarii Luc. u. 23. Deum calumniantur Verbum Dei corrumptunt, cursusque Evangelii inhibere student. Gen. 3. 4. 1. Reg. 22, 22. Matth. 4. 6. Divinum judicium exequuntur immundo & inferno Rom. 1, 28. Matth. 18, 34. vel Ratione hominum. Ingenere Totum genus humanum veneno peccati corruptit Gen. 3. insidiatur piis 1. Pet. 5. 8. inspecie Turbare & destuere conatur 1. statum Ecclesiasticum Exod. 1, 2. 1. Reg. 18. Ag. 12. Matth. 13. Luc. 8. 2. Statum Politicum 1. Paral. 22. 1. Sam. 16, 15. 2. Sam. 5. 16. 3. statum Oeconomicum Apoc. 12. 12. 1. Cor. 7. 5. 1. Tim. 5. 22. & variis tentationibus homines ad desperationem aliaque sclera flagitare non desistit quod ex Christi exemplo Matth. 4. oppido liquet. Sed contrahimus vela.

Soli D E O Gloria.

EO-Beg. 2002

01 A 6729

Retro'

Th. 4



DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
A N G E L I S,
QVAM
DIVINA FAVENTE GRATIA
IN INCLYTA WITTEBERGENSI ACADEMIA
SVB PRAESIDIO
VIRI
REVERENDI ET EXCELLENTISSIMI
DN. JACOBI WELLERI
SS. THEOL. D. ET PROFESSOR. EXTRA-
ORDINARI, ORIENTALIVM VERO LINGVARVM,
ORDINARI, PRAECEPTORIS ET PROMOTO-
RIS SVI OMNIBVS OBSERVANTIAE
OFFICIS MACTANDI,
EXERCITII GRATIA PVBLICEDISCVTIENDAM
PROPOONIT
J O H A N N E S B O C H M
FORSTA-LVSATVS.
AD DIEM IV. OCTOBR. MDC XXXVII.
IN AVDITORIO MINORI
RECUSA ANNO MDCCXXXIV. (4)